



JM
GRYPT ALS'T RYPT.

J. C. SCHRÖDERI
DE
Prospero Victoriarum cursu, quem ad Danubium, tum alibi, sociæ Britannorum, Batavorum Germanorumque copiæ, brevissimo temporis spatio confecerunt, proximâ æstate hujus labentis Anni CIↃ IↃ CCIV.

ORATIO,

habita Medioburgi, auctoritate publica, in illustris Gymnasii Auditorio, pridie indictam supplicationem.





MEDIOBURGI,

Apud *Bartholomeum de Later*, Typographum,

Illustribus & magnificis Viris.

D. D. Martino Veth, *Domino in* Westcappel, Nieulandia & Nieuwerven. J. U. D. *Reipublicæ Medioburgensis cum maxime Consuli.*

D. D. Johanni Petro van den Brande, *Dynastæ in* Cleverskerken, J. U. D. *Reipublicæ Medioburgensis Consulari: Equiti Baronetto, antehac apud sacratissimæ memoriæ Britanniarum Regem Gulielmum tertium, Nobilium ac Potentium Zelandiæ Ordinumn omine, Legati munere functo.*

D. D. Johanni de Reygersberg, *Dynastæ in* Couwerve & Gapingen J. U. D. *Civitatis Medioburgensis Consulari, Societatis Indicæ ad Cameram Zelandiæ Gubernatori.*

D. D. Johanni Schorer J. U. D. *nuper Civitati Medioburgensium a Secretis, nunc ejusdem Syndico.*

Ut & plurimum reverendis Viris

D. D. Danieli Hoornbeek, *Ecclesiæ Medioburgensis Pastori fidelissimo, post emerita, cum summa laude, complurium annorum stipendia, piâ placidaque senectute, in administrata* ἀρχιποιμένος *Provinciâ acquiescenti.*

D. D. Nicolao Schorer. }
D. D. Petro Immens. } *Ecclesiæ Medioburgensis Pastoribus fidelissimis, doctissimis*

Illustris Gymnasii Medioburgensis Curatoribus spectatissimis perpetuam felicitatem.

SUbjicio vestris oculis in præsentia, amplissimi ac plurimum reverendi D. D. Curatores, maximarum foederatæ Belgicæ Victoriarum qualicunque adumbratam colore imaginem, hac fretus animi fiducia fore, ut non dedignemini vestro adspectu charteum illius munusculum, quem perorantem nuperrime prosecuti fuistis studio tam prolixo. Quod adeo non tam mei, quam quidem ipsius argumenti respectu uti credam in animum induco meum. Cum enim suspiciat Vos Respublica & Ecclesia, qui omni cura, studio & quotidianis votis in salutem Patriæ feramini: hujus certè publicam laetitiam, tenuibus licet philyris innexam, vobis ingratam accidere haud posse persuasissimum habeo. Quod superest, Deum ter Opt. Max supplex veneror, ut vos, spectatissimi viri, Reipublicæ, Ecclesiæ & Scholæ quam diutissime sospites conservet.

Vovebam Medioburgi Zelandiæ, ipsis idibus Sept. A. CIↃ IↃ CCIV.

Honoris & Dignitatis vestræ Cultor devotissimus

Johannes Casparus Schröderus.

J. C. SCHRÖDERI
DE
Prospero Victoriarum cursu, quem ad Danubium, tum alibi, sociæ Britannorum, Batavorum Germanorumque copiæ, brevissimo temporis spatio confecerunt, proxima æstate hujus labentis anni CIƆ IƆ CCIV.

ORATIO,

Habita Medioburgi, autoritate publica, in illustris Gymnasii Auditorio, pridie indictam supplicationem.



Umanarum rerum, quamdiu futuræ sperantur, ea est ratio, ut exspectatione eventus suspensos teneant mortalium animos: præsentes autem ubi fuerint, pro variâ sui conditione diversis afficiant modis. Oriri id adeò ex innato omnibus beatitudinis desiderio liquido constat, cujus quidem vi sibi maximè conducibilia expetunt singuli Undè spes & metus, lætitia & dolor primas & postremas sibi in hoc mundi theatro vindicant, in tantum quidem, ut ipsum corpus, cujus servitio utimur, eodem secum trahat animus, sensuque eventus aut erigat, aut dejiciat. Adamantina hæc est lex, cui nemo

non natorum hominum subest, exercitura nos, quoad reciprocâ incertarum rerum vicissitudine jactabimur. Pugnet quis secum, nitatur ultra vires, ut omnem lætitiæ ac doloris sensum exuat: næ ille cum Stoicis sese turpiter dabit; ac suâ opinione victor victum se affectibus agnoscet aliquando quamlibet invitus. Maximè vero illa nos afficiunt, quæ benè secusve gesta communem omnium salutem stabiliant aut prodant. Hæc enim ad quanto plures pertinent, tanto magis nos mavere par est. Id adeò nobis cum maximè usu venit, Aud. Hum. ex quo contra Galliarum Regem arma cepemus pro Libertate, proque communi ac justa causa. Vidimus proximâ æstate, ut alias, Giganteos utrinque bellorum apparatus, contractas auctasque novis delectibus subindè copias, instructas classes, parata arma. Ingentia rerum molimina horruimus invicem. Nos hostiles, ipsi nostros impetus inter spem metumque dubii tacitis utrinque animis pensavimus. Nunc jacta est alea. Bene habet! nobis alluxit! Speratis læta, incertis certa, lætitia sollicitudini successit. Versantur nobis ante oculos consilii in Ducibus ac fortitudinis auspicatissimæ in militibus autem nostris stupendorum facinorum imagines. Cum itaque in media hac bellorum rabie, facta nobis videre licuerit omni spe majora: cum res nostras non modo sartas tectas servare contigerit ab hostili flammâ ac ferro, verum etiam novis iden-

tidem

tidem incrementis augere: cumque, uti nunc quidem est, his tantis bonis invitemur ad lætitiam, canendasque Deo ter Opt. Max. laudes: agite, Audit. humaniss. frontes mecum exporrigite, positoque metu ad spem, ad fiduciam vosmet componite. Quod ut agatis, lustrabitis mecum ingentem illum Victoriarum cursum, quem foederatæ copiæ, hoc anno, singulari quodam propitii Numinis favore, virtute prorsus incredibili peregerunt. Legetis vestigia, per quæ ad æternum nominis decus grassati fuerunt nostri heroës. Captas urbes, verberata moenia, expugnatas fossas juxta mecum stupebitis. Ad quæ dum accingor, dicenten me ut secundis auribus prosequamini etiam atque etiam rogo.

Dum inclinatas hostium res in Germania sustentaret Bavariæ Princeps, improbaque spe ab Rege Gallorum ablatus arma armis, virosque viris sociaret, regiones vexaret, ad arces, urbes expugnandas vires animosque Gallis adderet, ipsam denique imperatoriam dignitatem animo devoraret, opimam scilicet lati Gallis auxilii futuram mercedem: patuit Foederatis, bellum illic spe exiguâ, eventu prorsus infelici duci, frustraque se futuros, nisi consensionis iste Gallico-Bavaræ globus disjectus esset. Stabat ergo laboranti Germaniæ succurrere, conjunctasque manus cum hostibus tam arcto fœdere sociatis conserere. In Germaniam, adulto anni vere, cum delectâ copiarum manu tendit inclutus Dux

Marl-

Marlborugiæ. Per flumina, per difficiles escensu colles, non intermisso, per ipsas octo hebdomadas itinere, spurcâ adhæc imbribus & grandine tempestate, ad hostiles stationes perventum. Erat statim maximarum rerum præsagium hostilis pavor, qui locis natura & arte vallatis ita se tenebant, ut nisi de coelo venturis aditus patere non videretur. Quantam interim expeditio hæc Germanica nostram sustinuerit exspectationem meministis Aud. Ornatiss. cum in dies singulos maximarum momenta rerum huc aut illuc inclinanda viderentur. Sed nec fortissimus Marlborugiæ Dux, nec paratissimæ illius ad pugnandum copiæ diuturnam nobis hanc sollicitudinem esse voluerunt. Cognito enim non exiguam hostium manum ad Donavertam desidere castris vallo fossaque munitis, nec sui in campo facere potestatem; primam suæ virtutis testem, illam hostilis soli speculam delegit Imperator maximus. Huc ergo tendens cum inclinato jam in vesperam die venisset, fesso, incredibile dictu, milite pugnam occupat, prius quam rutilum illud coeli sidus fortitudinis Anglo-Batavæ spectaculo sese subduxisset. Exhortati suos quique Duces hostilia munimenta in altissimo solo collocata tentant. Cum primum fragor tormentorum auris que misceri horrisonus, perque coeli vergentis crepuscula offusæ caligine flammæ volitare. Sed Martios animos nequicquam Martis territant minæ. Ruunt,

quo

quo conſciam virtutem, quo Ducum veſtigia ferre vident. Et quamvis ſemel atque iterum pedem referre coacti fortius certamen repetunt: donec more ingentis procellæ, per oppletas ſuorum cadaveribus foſſas, per ſpiſſam creberrimorum ictuum grandinem viam ſibi aperiunt devota morti capita. Ibi verò dolor & indignatio viros ad cædem incendere. Obterunt ſternuntque omnia. Augebat hoſti miſeriam ipſa tantæ cladis contemplatrix urbs Donaverta, quæ irruptionem victricium copiarum metuens, portas fugientibus occluſerat. Unum deſperatis refugium pons in Danubio. Quem conferto agmine inſiſtentes laxata materiæ compages alveo fluminis immerſit. In hac Orciniana turba memorantur quatuor Epiſcopalis dignitatis viri, in rheda ſedentes, eâdem cum cæteris ruina oppreſſi. Adeò nec ſacerdotalis infula, nec veneranda ſanctitatis ſpecies ipſos a fatali illius diei calamitate vindicare potuit, quin innoxius ſpiritus ultricibus aquis intercluderetur. Sic noſtri longè lateque Victores caſtris cum omni opulentia bellicoque inſtrumento potiuntur, compluribus de hoſtibus captis, paucisque adeo pugnæ ſuperſtitibus, qui aciem ferri nando effugerant. Quo te interim modo affectum fuiſſe dicemus, incluſe Donavertæ moenibus præſidiarie miles? quid cupiebas? quid optabas? Nunquid animi tibi erat retinendæ urbi, poſtquam deletum videres tam ſpecioſum Norici exercitus robur?

undantes sanguine tuorum subjacentes campos? nudata propugnaculo urbis latera? feratis licet præ vobis spem hujusce defensionis, aliud longè consilii vos inire coget circumsistens victor exercitus. Altera post pugnam lux tantum quod præterierat; cum hostes latronum more se clanculum portis eripiunt, per pontem Danubio junctum tumultuario agmine properantes. Quæ via ne nostris ad insequendum pateret, rescisso a tergo ponte providerant. Hæc illius expeditionis tirocinia dixeris, si cum sequentibus conferas. Quanquam illa in nostris Ducibus magnitudo animi singularis, in militibus autem stupenda ad dimicandum alacritas hoc uno specimine luculenter admodum sese probaverint.

Prosecuturus dehinc Victoriarum cursum fortissimus Dux Marlborougius tertio nonas Julias Danubium copias trajicit, in hostile solum terrorem nominis latè circumlaturus. Direptionibus, incendiis complures pagos vastat, si qua BavarumDucem suarum rerum curâ ad meliorem mentem adigere posset. Verum nec redacta in cineres ædificia, nec miserorum ærumnæ villicorum, neque adeo ipsius Augustæ Conjugis intercessio obstinatum animum quicquam flexerunt Marpesiâ caute duriorem. In tantum promissorum ab Gallis subsidiorum fiducia sibi blandiebatur Princeps, ut hujus respectu contemneret immanem istam hostilis ignis populationem. Quidni autem persuasum habeamus,

mus, visum ita fuisse supremo humanarum rerum Moderatori, ut ad aliud immortale nominis decus nostris viam panderet? Festinat ecce Tallardus, flore Gallici exercitus, ac gloriâ proximi anni stolidè ferox, sed mox futurus ingentis cladis accessio. Hujus in conatus, iter observando, tragulam injicere adornat illustrissimus Princeps Sabaudiæ Eugenius. Sed frustra. Junguntur Bavaris Galli qui paulo ante binis castris dissederant.

Hic quis miretur animos crevisse hostibus, quos prioris pugnæ fortuna paulo ante perculerat? Itaque non nisi magna præsumere Galli cum Bavaris, optare vindictæ occasionem, & victoriam jam quasi suam reputare. Quid ni vero digna adeo res fuerit prospera hæc duorum exercituum conjunctio, ob quam miserit Bavariæ Princeps, qui Gallorum Regem lætâ alicujus victoriæ, brevi obtinendæ, spe implerent? Sed vanum augurem cæco sui amore in fata præcipitem ferri videte. Relictâ ad Augustam Vindelicorum tutissimâ suis statione Danubium trajicit, oppressurus de improviso, ut putabat, Celsissimum Eugenium, qui ab hac Danubii ripa obsidionem Ingolstadii sub Illustrissimo Badensium Principe inceptam, mutuis operis cum fortissimo Marlborugiæ Duce esset tecturus. Et profectò hæsisset res, ni prudentissimus Princeps de periculo, in quo versaretur, certiorem fecisset acerrimum Collegam, ab in-

feriore fluminis parte hostilibus motibus invigilantem. Arrigite mihi nunc jam aures, Audit. Hum. quodque longè maximum totoque orbe stupendum facinus nuperrimis nunciis accepistis in admirationem defixi, illud nunc cum maxime præsentes intuemini. Satagenti de hostium adventu illustrissimo Eugenio succurrit strenuissimus Marlborougius. Statim ac sine morâ expensis in concilio sententiis Ducum, hostem insequenti luce aggredi placet. Fervidis ante commissam pugnam votis summi Numinis opem implorant. Annuere supplicantibus visa est mota divina Majestas: adeò intrepidis, adeò constantibus animis viam ad hostes affectant. Jam in conspectu erant hostilia castra. Sed primus ad ea penetrare labor: quippè quæ tali posita erant loco, ut aggressuris prius cum palude, quam cum hostibus foret decertandum. Sed nulla virtuti invia est via.

Superatur hoc quicquid est incommodi. Jam cominus res agi coepta. Jam dextrum Germanorum & auxiliarium cornu cum hostilibus turmis manus consetere. Ubi inclutus Sabaudiæ Princeps Eugenius cunctis ordinibus obequitando, dispersos colligendo, suæ quosque virtutis admonendo, summi Ducis munia exsequitur. Ab sinistro cornu eximia virtute conspicuus illustrissimus Marlborugiæ Dux, delecta Anglorum Batavorumque manu summæ rerum præerat, in omnes

partes

partes intentus oculis & animo, curantibus hinc inde aliis magni nominis principibus viris. Digna inprimis admiratione res, ipsoque eventu notabilis: quatuor summæ virtutis Duces, hinc Marlborougium cum Tallardo, inde Eugenium cum Principe Bavaro videre commissos. Pugnatur diu ancipiti Marte, obstinatissimis utrinque animis. Videte autem hic immaturum & luctuosum planè hostibus gaudium. Cedentibus paululum Germanis, sinistra hostium acies jactis in altum pileis, Victoriam! Victoriam! ingeminat clamore insolenti. At modum pone, Galle, ferociæ, tuque lætitiam cohibe, Bavare, intempestivam. Nescitis enim, nescitis, quantum cladis ac doloris vobis instet. Adest continuò laborantibus fortissimus Dux Marlborugiæ cum Anglis suis & Batavis. Qui profligato sinistro cornu per medios hostes perrumpat, qui inclinatam dextram aciem restituat, quique hostem paulo ante insequentem gradu, spe, lætitia depellat. O lætam rerum conversionem! Victi pene palmam victoribus eripiunt. Jam una cunctos hostes pernicies manet fugam & receptacula spectantes. At nihil usquam tuti. Ingruit immissis habenis eques, incompositas sternens & obterens hostium cohortes. Ab altera parte Danubius, fatalis illa ad interitum Gallorum Bavarorumque unda, nostrorum impulsos telis, catervatim, horribile visu, rapido secum æstu volvit. O miseram

rerum faciem! O foedam hostium cladem nullius oratione exprimendam! Quis enim obtrita equorum ungulis hostium corpora, quis madentes sanguine fuso campos, quis exspirantium gemitus, quis acerbas fugientium lamentationes narrando persequi valeat? Fusis fugatisque hostibus, paululum quiddam sociato exercitui ad justam victoriam erat moræ. Sex & viginti cohortes, cum duodecim turmis equitum, opportunitate vicini pagi adductæ, defensioni sese parant. Sed quantuli erat laboris vincere, quos suorum clade perculsos metus & trepidatio jam debellaverant? Itaque post brevem minarum jactationem ad unum omnes Victoris sese arbitrio permittunt. Dum quoquoversus nostri hostem dispellunt, ut ventus folia: in silvam Herciniam abdit sese Bavariæ Princeps, trahens secum paucas equitum turmas unicum turpis fugæ solatium. Hisce ferarum latibulis mirum, medius fidius, ni Fontembellaqueum, aut Versalias præoptaverit, & Gallicarum illic audire cantus Sirenum, quam hic silvestrium monstrorum ululatus. Sed huc revertamini, Audit. Hum. contemplantes mecum regalem illam hostilium castrorum abundantiam, quâ potitus sit sociatus exercitus. Præter cuncta verò tormenta bellica, quæ hostibus erepta sunt, quis non stupeat illam armorum vim, vivis juxta ac cæsis detractorum? Quis captorum multitudinem hostium justo pene exercitui æqualem

non

non attonitus legerit? Tum verò, quod omnes vel maximum arbitremini, cui non fide majus visum fuerit hostem, tantâ locorum opportunitate munitum, adhæc aliquot millium numero superiorem, castris esse exutum & ad internecionem deletum? Nunc supremos hostium Duces videte, aut in prælio captos, aut ex fuga reprehensos. Vestram fidem, Aud. quantam turbam! Nunc ipsum Tallardum conspicite, opima celsissimo Marlborugiæ Duci spolia cedentem. O foedam tanto viro fortunæ conversionem? Qui quondam potentissimi Ludovici Legatus superbum comitatum regiæ Anglorum sedi invexerat, idem nunc ex Duce captivus miserum suarum sordium spectaculum Augustæ Britannorum Annæ, ut ferunt, objiciet.

O incredibilem victoriam per omnes fastos & annales victuram! O decus sociati exercitus, laude usque virenti coronandum! O singularem illustrissimi Ducis Marlborougii fortitudinem, pari cum prudentiâ conjunctam! O eximium animi robur invictissimi Principis Eugenii! Quibus verò laudibus vos prosequar, cæteri copiarum Duces laureati? Quibus vos, indomitæ virtutis heroës, milites strenuissimi? Facta vestra ostentabunt erecta de victis hostibus tropæa, reportatæ manubiæ, signa, vexilla. Martium Anglorum ardorem, avitam Batavorum fortitudinem, adhæc masculam Germanorum virtutem undis secum auferet Danubius in

Pontum, ultra Sarmatas famâ didendam & mundi latus; quod nebulæ & malus urget Jupiter. Quinam illi fuerunt viri, qui fossas, qui paludes studio pugnandi transilierunt? qui hostilem impetum corporibus intercluserunt suis? quorum omnium vulnera in pectore; omnium in manibus enses; quidam hostibus suis immortui Victricia suorum arma jactent Græci pariter ac Romani. Clades hostibus illatas & inusitatæ virtutis prodigia crepent: habemus & nos in nostro milite, nostris in Ducibus atque hac victoria, quod veteribus illis si non anteponi, certè æquiparari posse videatur. Quid Themistocles, quid Agesilaos, quid Camillos, quid Calpurnios desideramus, qui Marlborougios, qui Eugenios ostentamus? quis vero Iphicratensibus militibus aut Fabianis Anglos, Batavos, Germanosve sub Marlborougio vel Eugenio in ferrum ruere suetos postponendos censeat? aut quis pervetustam illam Granici famam, quis Arbelorum gloriam pulcherrimo nos ad Donavertam & Danubium exitu adæquasse neget? quis denique injuriarum me postulet, si hanc victoriam non gloria, sed solo annorum intervallo posteriorem esse contendam illâ ad Ticinum adoreâ, qua Carolus Quintus Franciscum I. Gallorum Regem vivum cepit, profligato illius exercitu?

Beatam ergo patriam, quæ quidem defensores nacta est fortes adeò atque hostibus metuendos! beatos vos, mag-

magnanimi Proceres, patriæ Patres, quibus pressum ingenti curarum pondere animum tam læta, tam insperata victoria recreare licet! beatos nos universos ac singulos, quorum a cervicibus remotum est hostile ferrum, quod omnibus impendebat! Quotus autem quisque est, qui sibi quidem repræsentans imaginem contrarii casus, non totus horreat? At hæc mala, quorum cogitationes ipsa mens expavescit, hæc victoria in fractos hosses avertit. Macti estote hac prudentia ac fortitudine, vos invictissimi copiarum Duces, clarissima quiqe suarum gentium sidera! Macti estote hac virtute, generosi animi, milites strenuissimi! vestris consiliis, vestris ausis patriam, socios belli Reges, Principes, omnes denique bonos porro demeremini. Dum sic ad Orientem sæva belli tempestas detonuit, ad occidentem nihil erat, quod hostium latebras metueremus. Quippe diffisi viribus fossis sese tenent, inque dies singulos oblatum a nostris certamen detrectant. Verum enimverò nectentem moras Bedmarum, si non ad pugnam, certè ad prospicienda suorum incendia, vexationes, direptiones adactum vidimus, nostris in hostile solum longè lateque excurrentibus, pecunias imperantibus, prædasque inde agentibus haud contemnendas. Quod ipsum ad communem Sociorum causam non exiguum contulisse momentum quis dubitet? testantur

illud sanè hostes, qui hisce nostrorum grassationibus malè sibi timentes, auxilia, quantum possunt, ex Germania arcessunt, tanto minus ad Rhenum metuendi, quanto magis ad Mosam auxiliis indigent.

Quod si propinquius nobis hostile territorium spectare lubeat, & hic dignam triumpho materiam offendemus. Quanto commodis, quam famâ majus est, quod Isabellæ arcem, nostris incubantem limitibus, armis virisque satis instructam, ipso pene copiarum nostrarum conspectu ad deditionem compulimus? quod sic hostem longius a finibus nostris abesse coëgimus? quodque illi nunc adempta sit facultas, ducenda ab hoc propugnaculo fossâ, liberam nostrorum excursionem inhibendi? Hoc autem quale sit æquiori lance pensabimus, si cogitemus, quantum ad nostram animorum securitatem pertineat, arctos illos, quos possidemus agrorum terminos, ab omni decremento servate incolumes, nec hostilia signa quotidie expavescere: sed liberiorem spiritum ducere, sed extra teli jactum positos, sed metu vacuos, in ipsa sævientis belli procella, placido frui otio.

Quid interea temporis egerint, seu potius, post quæ carecta latuerint Hispani & Galli, non ignoratis Audit. Hum. Unum præterire nequeo audaciæ illorum molimen: quod ut eventu frustraretur, propitii Numinis

minis ope sanequam conspicua provisum fuit. Aucti namque adventitiis ex Germania copiis, novem circiter equitum millia, ex singulis delecta turmis, Bergas ad Zomam ablegant, hoc consilio, ut opportunitate locorum ab his celeriter occupatâ, intonantibus missilium ampullarum & craterum explosionibus, in tecta illius urbis sævirent. Ita quidem proposuerant hostes: ut data Brugis ac Namurco ab nostris flammis damna contrariis damnis solarentur. At videte quis casus, quamque levis hasce minas interceperit. Tendentibus more militari (quem delectis copiis peculiarem esse ferunt) hostibus, sine signis, sine vexillis ad destinatam urbem, una nostrorum equitum turma occurrit. Hanc prius conspicati hostium emissarii sub signis ad se duci, ulteriori agmini nunciant, intellectos sese esse: quippe quod conspexerint hostem una cum signis appropinquare, non dubitare se, quin ingenti multitudine suum adventum essent excepturi. Facile persuasum omnia sinistra suspicantibus. Supprimunt hostes iter, atque ab incepto desistunt. Quis verò hic non agnoscat singulare divinæ providentiæ argumentum, hostem vano metu, ab objecta ex improviso præda, ab opportunitate gerendæ rei avocantis?

Postremo, si Oceanum respiciamus, non benignior illic hostibus aura adspiravit. Mitto interceptas illo-

rum plurimas naves, ipsisque pene faucibus ereptas, quas Americanis aut Gallicis mercibus graves, per spumantis undas salis in nostros portus adduci vidimus. Illud ad animum revocetis rogo, qua virtute hostilium impetum triremium nuperrimè fregerint nostri maritimi heroës. Ad cujus enim aures undantia istius diëi machinarum bellicarum murmura non sunt advoluta? Cujus oculos propemodum non implevit surgens ista fumi nubes, cum quinque naves longæ, summa maris malacia, ex proximo Morinorum portu aggressæ sunt ternas de nostris bellicis, pro maritima ora in statione collocatas: cumque post multa suorum funera, post perforatas crebris ictibus laterum compages aucti damno & dedecore in sua latibula se receperunt trepidi adversarii?

Neque vero hic solum tam candido, quid Græcis in proverbio est, oculo nos respexit propitium Numen, quin ad Hispaniæ litora nostris quoque conatibus faveret. Vix indè lætam aliquam catastrophen optabamus: cum ecce alterius famam victoriæ trepidantibus alis ad nos volitare vidimus attoniti, ereptam Hispanis Gibraltariam, per longum maris spatium, ad nos perferentem. At quam urbem? veteri Tarento, si a magnitudine discesseris, opportunitate situs parem: quippe quæ in ipsis Herculeis faucibus posita commodissi-

dissimam nostris speculam præbeat, undè in hostiles naves, hoc interni maris limen subeuntes, facillimus detur prospectus & excursio. Quod si verò nobis ab summo Numine proposita foret conditio, poteramusne majora votis comprehendere, quam quæ cælestis favor nobis hoc in genere est largitus? urbem tantâ situs opportunitate, tam idoneam hostilium navigiorum insidiatricem, tanto tormentorum bellicorum terrore cinctam, intra quatriduum in manus nostras essè traditam? I nunc, Gibraltariæ Præfecte urbis ad Ludovici nepotulum, jacta ferox responsum nostris deditionem poscentibus datum, proque verbis verbera relata tibi ab Anglo-Batava classe nuncia.

Habetis depictam vobis, Audit. Hum. qualicunque colore tantorum facinorum imaginem, habetis illustrissima paucorum dierum gesta. Ex quibus quid in futurum sperare liceat de summa rerum, qua publica Sociorum causa continetur, non dubiis argumentis colligere videmur. Quem enim lætum eventum nobis non promittamus ab iis Ducibus, qui non prius armis cum hoste, quam precibus cum Deo dimicare consueverint? qui duce prudentia, comite virtute hostem superare didicerint? Quid non exspectemus ab eo milite, qui per acclivos colles, per limosas paludes ad victoriam properare non refugerit? Quamobrem pleni

spe ac fiducia, ex hoc prospero rerum cursu sociandam nobis Bavariam, profligandos e Germania Gallos, refocillandam Lusitaniam, cunctos denique puri piique duelli Socios optatis commodis ornandos augurabimur.

Quorum ut fiamus compotes votorum: tu Deus ter Opt. Max. bisce ad tuam sacrosanctam Majestatem suppliciis nos advolvi patiaris. Quantis quamque insperatis tu nos oneras commoditatibus! qui copias nostras in regiones longe remotas propitio numine prosequeris: qui tantis nos victoriis, hostes vero tam foedis cladibus tantisque infortuniis mactas! Cui enim horum facinorum laudes adscribamus, præterquam uni tibi, Potentissime coeli terrarumque Moderator? haud nostris consiliis, viribus, sed tua solius ope, sed tua manu fracti sunt hostes fusi fugatique. Agnoscimus humano majus opus. Prædicamus tuam benignitatem inexhaustam illam, qua nos indignos tua pace homunciones tam lætis tam stupendis bonis cumulas. Exosculamur divina hæc tua munera, supinis manibus, defixis in coelum oculis, mente, cogitatione venerabundi. Tu incolumem ab omni malo patriam præstitisti: Tu vim hostium nostris finibus ingruentem repulisti. Quodque vel maximum coelestis favoris argumentum, Tu nobis huic bello, tantarum opum voragini, ultra modum liberalis sumptus suggessisti: cum Indicas naves, thesauris Asiaticis graves, illæsas portubus nostris stitisti, ne ad anhelantem inopiam redacti bellum periculo dulcissimæ patriæ, libertatis, ipsiusque adeo defæcatæ religionis deserere cogamur. Da nobis, summe Deus, propriis bisce frui bonis:

neve

neve nobis decollet alma ſpes, qua tu in præſentia noſtros animos impleviſti. Tu igitur ſummis patriæ noſtræ Patribus ſanam mentem, ſana conſilia inſpires porro, ut agitatam hiſce bellorum fluctibus reipublicæ navem prudenter regant magnanimi Tiphyes. Tu poſthac dexter ades Ducibus, reliquias belli perſecuturis. Tu feſſo præliis & itineribus militi novas vires, novos animos ſuffice. Noſque omnes terrore Martis immane quantum exanimatos in placidiſſimum tutiſſimæ pacis portum tranſfer aliquando. Pro quibus meritis nos propenſæ tuæ genua miſericordiæ hac votivâ tabellâ inceramus ſupplices: Tibi uni nos partarum victoriarum, defenſæ patriæ, Religionis Libertatiſque gloriam, mancipio ac nexu tuos, cum gratiſſimi teſtificatione animi aſſerturos jugiter.

D I X I.



